



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE  
**BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ  
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 090724c

Martes 09.07.2024

**Carta del Santo Padre al Enviado Especial al Congreso Eucarístico Nacional en los Estados Unidos de América (Indianápolis, 17-21 de julio de 2024)**

El 18 de mayo de 2024, el Santo Padre nombró al Eminentísimo Card. Luis Antonio G. Tagle, proprefecto del Dicasterio para la Evangelización, como Su Enviado Especial al Congreso Eucarístico Nacional de Estados Unidos, que se celebrará en Indianápolis del 17 al 21 de julio de 2024.

El Enviado Especial estará acompañado por una Misión Pontificia compuesta por los siguientes eclesiásticos:

1. Rev. P. Michael Fuller, secretario general de la Conferencia Episcopal;
2. Rev. Don Jorge Torres, secretario de la Comisión Episcopal para el Clero, la Vida Religiosa y las Vocaciones.

Publicamos a continuación la Carta del Santo Padre al Enviado Especial:

**Carta del Santo Padre**

Venerabili Fratri Nostro  
ALOSIO ANTONIO G. S.R.E. Card. TAGLE  
Dicasterii pro Evangelizatione Pro-Praefecto

Sacrosanctum Christi Corporis et Sanguinis mysterium ubique terrarum cunctas apud Ecclesias conspicuum usque obtinere locum pro certo habemus; iterum iterumque oculos Nostros figimus in eo, quo de multitudine miserationum Dei sperantes, a Deo poscimus per dies ut partem aliquam habeamus cum sanctis Apostolis et Martyribus in caelo natis (*cfr* Canon Romanus). Ex pane enim angelico, salienti quasi e fonte spiritalis salubritas beneficiorumque Domini copia affatim manant ac defluunt. Fideles autem ad caeleste convivium accedentes, supernis praesidiis roborati, suam operam in cotidianis officiis sustinendis fortius studiosiusque agere valent.

Quapropter pergratum fuit Nobis nuntium de Congressu Nationali Eucharistico in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis nuper audiendum, quem multi participabunt Indianopoli inter dies XVII et XXI mensis

Iulii insequentis. Petitione igitur accepta a Venerabili Fratre, Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Timotheo Broglio, Archiepiscopo Ordinariatus Militaris necnon Conferentiae Episcoporum Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis Praeside, qua rogatur a Nobis ut aliquem Purpuratum Patrem mittamus personam Nostram gesturum. Ad te, Venerabilis Frater Noster, libenter decurrimus, quippe qui insigne servitium in Ecclesiae bono adimpleres utpote Pro-Praefectus Dicasterii pro Evangelizatione.

Etenim iustam hanc rogationem iudicantes, Te hisce Litteris Missum Extraordinarium NOSTRUM nominamus ad sollemnes celebrationes Congressus Nationalis Eucharistici Indianopoli dictis diebus habendas. Omnes quippe huius eventus participes adhortaberis ut, animis cum Iesu in Sacratissimo Sacramento nostrae Redemptionis coniunctis, universorum donorum ex cibo caelesti recipiendorum plene sint conscii eaque ceteris impertienda possint conferre.

Archiepiscopum Ordinariatus Militaris, sacros Praesules, cunctos fideles ibi congregatos, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates et christifideles laicos Nostro salutabis nomine. Cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem cultum ac simul omnibus participibus benevolentiam Nostram significabis. Nunc autem exoptamus ut fideles caelesti dape refecti feliciorum aetatem spiritalemque prosperitatem consequantur.

Instanti denique prece Omnipotentem Deum exoramus ut diligenter officium tibi concredendum expleas, quo ibidem pastores et christifideles multiplicibus gratiis a Domino ditentur. Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libentissime in Domino impertimur, quamque ad omnes congregatos effuse volumus pertinere.

*Datum Romae, Laterani, die XXIX mensis Iunii, in sollemnitate Ss. Petri et Pauli, Apostolorum, anno MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.*

FRANCISCUS

---